

*Ad virum Clariss.*  
**JACOBUM COCERTUM**

*cum*  
Scanderbegum

suum ederet.

**B**ENÈ fit tibi COCERTE, benè Musis tuis  
Illis politis perquam & elegantibus,  
Heroa quæ potentem & invictum Ducem  
Nobis redonant, asseruntq; à livida  
Oblivione carminis docti modis,  
Exemplum in ingens cuncta quod discat dies,  
Et quotquot armis expetunt celsum sibi  
Decus parare nec tacendam posteris.  
Leves amores, furta noctium, & genas  
Rosea puella pangere arguto sono,  
Et ducere aures noxiâ dulcedine,  
Vix res honesti carminis, facta inclita  
Mandare chartis, & virorum ingentium  
Sonare laudes, unde magnanimus vigor  
Et celsa virtus, nulla quam vis atterat,  
Nullus furor fatiget innixam sibi,  
Insuescat animis, hoc opus verissimum est  
Vatis perennis, qualis Andini tonat.  
Furor sacer Maronis, aut qualis pater  
Mæonius antè solvit os dignum Dijs,  
Venamq; rupit, undè non tantum fluant  
Latices beati carminum potentium,  
Sed universa verius sapientia  
Fontes inundent uberi facundiâ.  
**NISI UTILE EST, QVOD AGIMVS, OMNIS LAUS PERIT.**

Augustus Buchnerus.

CAR-